

14

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**HÆMORRHAGIA**  
**VIARVM VRINARIARVM**  
*QVAM*  
DIVINIS AVSPICIIS  
PRÆSIDE  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
ORDINIS MEDICI SENIORE  
**PRO DOCTORIS GRAD<sup>V</sup>**  
SVMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS RITE  
OBTINENDIS  
*Ad d. Septembbris A. AE. C. MDCCXXX,*  
Publicæ eruditorum disquisitioni exhibebit  
**M. GODOFREDVS HEINSIVS**  
IÜTROBOCENSIS SAXO.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI. Acad. Typogr.

ANNO MCMXVII  
HOMORIAGA  
MURINARIAM  
HOMORIAGA  
DRIGERICHOFFMANN  
VOCATIUS  
HELMIS



DISSENTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**HÆMORRHAGIA VIARVM  
VRINARIARVM.**

PROOEMIVM.



Venadmodum sanguis ,  
si moderato & æquabili mo-  
tu circumlit, vitæ & integri-  
tatis omnium in corpore  
functionum ; sic etiam mul-  
torum & gravium morbo-  
rum, imo ipsius mortis caussa & fons est, quan-  
do non tam copia vel temperie, quam motu  
& loco peccat. Nam si justo celerius move-  
tur, oritur febris ; si vicissim penitus immotus  
subsistit, putrida fit partis corruptio ; si vasol um

A 2

arveis

alveis clapsus, abit in putredinem & purulentam materiam, unde hecticæ febres aliquæ truculenti morbi profiscuntur; quando majori copia ac impetu ex uno loco transfertur in alterum atque inæqualiter movetur, dolores, inflammations & periculosæ sœpe fiunt hæmorrhagiæ. Qua de cauſa præcipuum, imo fere princeps, medentum opus atque intentio esse debet, ut sanguinis & fluidorum motum in quovis morbo probe attendant, obſervent, eumque exorbitantem, in ordinem redigant. Habet hoc quam maxime locum in nimiis sanguinis profusionibus. Hæ enim si moderate & per naturæ convenientia loca fiunt, uti ſalutares ſunt & in magnum sanitatis vergunt commodum, ita, ſi per aliena & naturæ insueta ſuccedunt emifaria, per pulmones forte, per ventriculum & intestina tenuia, nec non per renes & veficam, atroces & ſæpe mortiferas paſſiones concitant. Exemplo jam nobis erit hæmorrhagia, quaæ fit per vias urinarias, & qua sanguis mediante urina per veficam & urethram excernitur. Hanc in ſpecimine inaugurali hoc ita excutere animus eſt, ut doceamus, a quibus cauſis variis prove- niat, quaæ gravia poſt ſe relinquat ſymptomata & qui-

& quibus remediis tum præcaveri, tum sanari possit. Cui utilissimo labori ut gratiam suam & vires nobis divinum ac præpotens Numen addat atque largiatur, est, quod demissa prece efflagitamus!

## §. I.

**A**Nequam in ulteriorem hujus argumenti disquisitionem & meditationem descendamus, primo omnium pretium erit operæ, certa & & vera suppeditare indicia, quibus an sanguis cum urina mixtus sit, nec ne, dignoscere, adeoque distinctionem cruentam, a non cruenta, discernere possumus. Si in majori copia, ut interdum accidit, ad libram & ultra, sanguis sincerus, vel sine, vel cum pauca urina mixtus, prodit per meatum urinarium, res nullo eger discriminere. Si vero crux urinæ fuerit admixtus parcus, tunc paulo curatori opus est scrutinio. Sæpe enim mingitur lotum coloris sanguinei, sæpe etiam deponit sedimentum non aliter ac sanguis solet, nullo tamen praesente sanguine. Sæpius etiam bruni vel nigrescentis coloris urina emititur, ut nulli suspicio sanguinis, qui tamen mixtus est, in sensu & mentem incurrat. Quare haud raro sit, ut Medici in diagnosi hujus mali admodum fallantur. Nam observatorum frequenti detectum est industria, & experientia quoque confirmatur, quod urinæ intense rubro sanguineo colore tinctæ, immo nigrescentes, appareant, sine ulla sanguinis mixtrura. Relatum hoc legimus a FORESTO Libr. XV. Observ.

*vation. pag. 305. in M. N. C. Dec. II. Cap. VI. Obs. 8.*  
*in SCHENCKIO Lib. III. Obs. 558.* Atque etiam id  
 non raro accidit in hypocondriacis, cacheeticis nec  
 non scorbuticis.

## §. II.

Suggerenda igitur sunt certa indicia, e quibus  
 hoc tam multiplex discrimen perspiciendum, eumque  
 in finem tenenda hæc. Si rubedo sanguini æmula a  
 particulis sulphureis, mixtura salium, præsertim alca-  
 linæ indolis, exaltatis proficiscitur, tunc quamprimum  
 emissâ fuit, clara & perspicua apparet, sedimentum  
 vero incarnati & cinnabarini coloris est; quod ta-  
 men, sufficienti calore admoto, mox in supernatantem  
 liquorem se recipit, ut clara rursus & perspicua  
 ut antea appareat. Contra vero quuma urina rubet a  
 sanguine, tunc opaca & crassiuscula sine perspicuita-  
 te mingitur, sedimentum vero est grumosum, ex ru-  
 bro nigricans, idque non dissolvitur, aut rursus ab  
 urina absorbetur. Deinde si lotii rubedo est a san-  
 guine, linteum per quod colatur, tingit rubore, quod  
 non sit, quando est a salibus color exaltatus. Quan-  
 do porro urina est crassa, turbida, bruni & nigrescen-  
 tis coloris, qualis non raro a sanguine diutius moram  
 necente in vesica & corrupto redditur, tum, ut a ma-  
 teria viscida, biliosa, adusta, scorbutica, tartarea di-  
 scernatur, sedimentum lento calore est exsiccatum,  
 siccatum carbonibus vivis injiciendum, & observan-  
 dum, utrum odor exsurgat urinosus foetidus, an vero  
 empyreumaticus volatilis, qualis a sanguine exsiccato  
 & cornu cervi alias exspirat. Si prius accidit & præ-  
 terea

terea quæ post cremationem remanet materia salinæ fixæ terrestris rudioris indolis est , non a sanguine si posterius , & cineres teneriores remanent ac subtiliores , utique a sanguine esse , concludendum .

## §. III.

Multum quoque scire refert , discrimen : unde profluxerit cum urina emissus sanguis . Etenim plures dantur viæ , quæ urinæ fecernendæ & excernendæ inserviunt , renes , uretheres , vesica , urethra , per quam etiam seminalis liquor emititur . Quod si autem sincerus sanguis largius & sine dolore mingitur , magna que grumorum copia in fundum secedit , ex num substantia sanguineo - vasculosa eum prodidisse nullum est dubium . Vbi vero parcior quantitas sanguinis obscuri , nigricantis coloris , cum , vel sine materia purulenta , maxime si cum dolore , ardore in inguine , sub mictione , vel post eam redditur , tunc ex vesica , vel renibus laesis , aut exulceratis , prodidisse certum . De quo egregium est HIPPOCRATIS *Set. IV.* Aphorism. 78. testimoniorum : *Quicunque , inquietis , reponit ac confertim sanguinem mingunt , his ruptæ a renibus vene significatio fit . Nec non Aphorism. 75. si sanguis & pus cum urina redditur , exulcerata vesica aut renum significationem præbet .* Quando porro ex uretheribus , a calculo magno vel aspero laesis , sanguinis quippiam cum urina miscetur , dolor circa lumbos & ilia acutus , difficilis & fabulosa mictio , aliaque calculi in uretheribus hærentis signa id manifestant . Propter læsa a calculo vesica ejusque tunicarum sanguinea vascula , si excernitur quippiam crux , non modo

cum

cum summo dolore & prævia obstructione quandoque urina prodit, sed & grumi interdum cum moleculis crassioribus fabulosis firmiter compacti una cum ea emittuntur, quod eriam interdum accidit, si calculus in rene firmiter impactus eum fauciat.

## §. IV.

Datur vero adhuc alia mictionis cruentæ species, cujus tamen raro mentio fit a scriptoribus medicis, quæ videlicet ex ipsis vasis vesicæ, vel potius ipsius sphincteris contingit, quando nimium hiant & a sanguine distenta aperta fuerunt. De hac mictionis cruentæ specie notatu dignum est CÆLI AVRELIANI *Lia. IV. tardar passionum cap. IV.* effatum ita habens: solent, sicut in podice, vel feminarum sinu, aut matricis collo, etiam in vesica, hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstant, quibusdam interdalli variatum. Quod oportet apprehendere prudentem, cum non coarcervata primo fuerit effusio, sed augmentis quibusdam promota, interjectis deflectionibus, ac retento sanguine dolore circa pubem, siquidem aliquando inflate ac tumentes hæmorrhoides difficultatem vel abstinentiam faciunt mictus, dysuriā Græcis vocatam, vel ist. uriam. ARCHIGENES vero dicebat, ut statim periodis mensis ē hæmorrhoides, ita ē certis vicissitudinibus interdum plethora se effundit per renes ē vesicam. Cui merito addendum HEVRNII Comment. in aphorism. HIPPOCRATIS 78. de signis discriminis loci præceptum: *sanguis qui a tensu vesicæ emingitur, non exinde permiscetur urinæ, sed in fundo depositus grumescit, quin hic grumus, qui interdum citera urinam excidit, dolorem circa vesicæ musculum consisten-*

tem

*tem facit; a rene vero qui mingitur sanguis, & copiosus est,  
Urina exakte miscetur, videturque tota urina consisten-  
tia nihil aliud esse, quam tenuis ac dilutus sanguis; mox  
ramen sedet liquidus minimeque concretus & rubicun-  
dus.*

## §. V.

Neque etiam confundi debet sanguinis mihi cum gonorrhœa sive feminis fluxu fanguineolento. Non enim adeo est insolens, ut in iis, qui gonorrhœa la-  
borant virulentæ, ex glandulis prostatæ valde relaxa-  
tis, ob majorem lymphæ, vel seru affluxum, non mo-  
do seminalis liquor, sed & serum mucidum, arenulis  
etiam resertum, interdum quoque per intervalla pla-  
ne sanguis, ex apertis vasorum osculis per urethram  
citra urinæ fluxum emitatur.

## §. VI.

Neque porro confundere, sed probe dignosce-  
re oportet a sanguinis mihi, illum sanguinis efflu-  
xum, qui fit per membra virilis integumenta.  
Nos aliquot memoria tenemus exempla, ubi certis  
periodis in viris ex ipso pene fluxit san-  
guis per aliquot hebdomades purus, satis largi-  
ter, præcedente tensivo quodam in inguine ac fe-  
moribus dolore. Collegit etiam ejusmodi exem-  
pla STALPART van der WIEL, Cent. I. Obs. LXXX.  
Sed tum sanguis non prodit urinæ mixtus, sed stillat  
seorsim guttatim, ex ramo vasorum hæmorrhoidalium  
exteriorum qui ad pudenda excurrit.

## §. VII.

Deinceps tenendum discrimen mictionis cruen-  
tæ criticæ & salutaris, a minus tali & morbosæ. Illa

B

quippe

quippe fit frequentissime per renes magna in copia, rarius & in minori quantitate per sphincterem vesicæ, citra dolorem & magnum incommodum & reddit etiam certis periodis. Contingit hoc maxime per translationem, sive quæ Græcis dicitur metastasis, excernendi sanguinis per menses, aut hæmorrhoides, iis vel cessantibus, vel obstructis, aut suppressis. Vidimus nos talem criticam miictionem liberafiorem, in viris, sanguine abundantibus, sive plethoricis, juvenilis, vel etiam senilis ætatis, suppresso, vel etiam penitus cefante hæmorrhoidalí fluxu, aut consueta omissa sanguinis missione, periculi tamen prorsus expertem. Vidimus quoque in feminis octogenariis, vegetis & laute adhuc viventibus, præsertim si cessantibus mensibus sanguinis missio vel fuerit neglecta, aut plane omissa.

## §. IIX.

Præterea non semel, sed aliquoties notavimus in senibus, deficiente fluxu hæmorrhoidalí, item in viris ætatis consistentis hæmorrhoidibus cæcis & tumentibus si adficiuntur, a motu corporis & animi fortiori, sanguinis portionem non exiguum, bruno colore instar decocti caffee tineti, citra urinæ difficultatem cum mihi prodiisse; qui procul omni dubio ex vasis vesicæ sanguineis circa sphincterem ejus tumentibus & apertis profectus fuit. Venæ enim hæmorrhoidales externæ que alias facile tument, & cæcæ dicuntur, communicant cum vesica & ramos etiam ad eam spargunt; minime vero, ut non nullorum fert opinio, de internis id putandum, quo-  
rum

rum ramos ad vesicam excurrentes Anatomicus huc usque vidi nullus.

## §. IX.

Contingit vero hæc sanguinis excretio, ex aliis sanguineis suppressis, hæmorrhoidalibus potissimum, per renes, dum videlicet sanguis accumulatus & per arteriam mesaraicam inferiorem ad tunicas intestini recti adductus, ibi cum exitum non invenit, quasi regurgitat ad truncum arteriæ magnæ, sive potius majori copia ibi colligitur, & ad vas a renum arteriosa, quæ & copia, & magnitudine venas emulgentis superant, per ductus urinarios delatus, orificia eorum nimis distendendo & aperiendo, ad tubulos urinarios, qui cum arteriolarum finibus connexi sunt, & per hos tandem ad uretheres & vesicam transit. Atque adeo in tali casu nec anastomosis, nec diæresis, nec diapedesis, tantopere ab autoribus decantata, locum obtinent.

## §. X.

Vesica vero excretioni etiam sanguinis obnoxia est, quia valde difficilis est, ob perpendiculararem & valde demissum situm, sanguinis per venas ex ipsa regresfus. Quo fit, ut sub hæmorrhoidibus externis tumultibus, vel internis obstructis, in plethoricis præfertim, accumulatus & ibi stagnans sanguis, præter naturam orificia vasorum capillarium ipsius vesicæ, vel magis sphincteris, aperiat atque perrumpat.

## §. XI.

Maxime omnium vero fluxus hæmorrhoidalis suppressus, vel ex quacunque alia caussa cessans, caus-

Sam mictionis cruentæ, maxime illius quæ fit per renes, subministrat. Notatu dignum hanc in rem est exemplum, cuius meminit HERCVLES SAXONIA tib. III. cap. IV. nobilem Batavum, per quinque annos, ex intervallo, multum sanguinis sponte & subito ante urinam ex urethra emississe, fluxu laborantem, hæmorrhoidum suppresso. ROLFINCKIVS quoque *Dissert. anatom.* Lib. V. cap. 26. aliam historiam refert: *Illustris vir,* scribit, *hæmorrhoidal fluxu affuetus, eo suppresso, incidit in mictionem cruentam, multarum septimanarum spatio durantem, que evanuit hæmorrhoidibus apparentibus, levi fluxu & parco satis, ita, ut vix anitergia tingeret.* Neque nimis REISELIVS *epistola LXIV.* calum memorabilem enarrat, de pastore quodam, ob hæmorrhoidum a triennio suppressionem, magnam anguinis crassi & sinceri, sine urinarum aquis, cum impetu promanantem & matulam repellentem quantitatem, excernente, qui tamen per totam vitam nihil sanguinis e vena miserat. Cum vero hic eundem paroxysmum ter stato circuitu expertus fuisset, secesserunt tandem naturales & limpidæ urinæ. Postquam autem Medicis consilio vino usus fuerat paulo largius, & diebus aliquot continuatis pilulis ex aloë, succo cichorii imprægnata & extracto trochiforum alhandulæ, hæmorrhoides ei fluxerunt & malum cessavit.

## §. XII.

Vtut vero omnis motus corporis fortior in plethoricis facile ad hæmorrhagicas excretiones suscittandas ansam præbet; speciatim tamen ad mictionem cruentam nulla ipsius species majorem vim habet excepta

quitatione. Possemus ejus exempla plura afferre, quæ etiam passim apud auctores reperiunda. Sic RIVERIUS *Centur II. obs. 13.* memorat de quinquagenario, qui quoties equitationi peregrinationis causa sese comisit, urinas sanguinolentas reddidit. HOLLERIVS quoque in *Aphorism. 78. Sect. IV.* Hippocrat. inquit: *Sunt nonnulli, qui si durius equitant aut sese exerceant immoderatus, ex calefactis renibus, sanguinem mejunt.* Et pau-  
lo post: *arbitramur, ait, sanguinolentam urinam & turbidam reddi ab hoc Reverendissimo Episcopo propter dilatationem factam tum in cavitatibus renum, tum in vasis urinariis, propter intensam caliditatem, a motu violento primo generatam, dum curru, salebroso irinere concuteretur, præcipue circa dorso regionem: deinde succedente ingenti calore, dum cum ueste pellicea sub sole ardente montem ascenderet.* Ex his igitur omnibus tantus calor circa partes renum fuit ex-  
citatus, ut ob nimissimam dilatationem, urina sanguinolenta ex-  
creta fuerit. Et inde est, quod nunc quoque quotiescumque fatigatur & corpus exercet in idem symptomata incidat, tur-  
bida scilicet sanguinolenta urinæ. Ratio vero, quare e-  
quitatione, cuius alias in præcavendis & etiam sanan-  
dis chronicis affectionibus magna vis & efficacia est,  
ad hæmorrhagiam renum & vesicæ plurimum dispo-  
nat, inde petenda venit, quod propter compressionem  
venarum in femoribus, in perinxo etiam & ano,  
sanguinis recursus multum retardetur. Hinc co-  
pia sanguinis major fit & increvit in arteriis, motus  
que sanguinis in superioribus partibus augetur & in-  
tensior fit presertim circa lumbos, per motum suc-  
cessorum. Sic facto citatori sanguinis affluxu, emulgentes tandem arteriæ quam facile aperiuntur.

Recte enim scribit MALPHIGIVS tractatu de rénibus : *In nostro corpore, prætor pulmones, non alia est pars, quæ exundantis sanguinis injuriis magis subjiciatur, quam renes*

## §. XIII.

Deinceps sanguineæ mictionis, sed magis priori infestæ & periculotæ, caussam non infrequenter calculus intra renem delitescens subministrat. Multa enim hujus succurrunt exempla, & tale quoque habet HORSTIVS Lib. IV. Obsrv. 37, ubi sine omni lumborum dolore, calculosi, præfertim qui sanguine plus justo abundant & corpus vehementer motu exercent, sanguineam emittunt urinam. Quomodo vero hoc fiat, vero videtur simillimum, quod calculus mole major ac figura asper, sine dolore quidem intra renes diu delitescere possit, nihilominus haud levem compagii renum vasculosæ labem suo afficit ac compressione inducat, eorum quoque functionem naturalem lædat & sic ansam erumpendi sanguini præbeat. Scilicet quando calculus mole & pondere suo ramos venæ emulgentis comprimit, liberiorem sanguinis transitum per has impediendo, efficit, ut per arteriolas emulgentes adductas, nimia copia & impetu carum tenues & capillares ramulos, qui ultimo terminantur in tubulos urinarios, valde distendat & tandem viam sibi faciat in eos, qui secundum naturam tantum urinam vehunt, eosdemque subeat ac in urinam transeat. Id quod longe adhuc magis fit, quando in dispositione ad calculum, varii generis remedia, quæ urinam & calculum pellunt, commendantur & applicantur, ut quidem communis & pessima est confuetudo,

tudo, præsertim si calidiora fuerint, ex terebinthina, succino vel junipero parata. Fit etiam tali in casu, ut calculus in renalibus tubulis incarceratus, arrofione, & excoriatione dilacerando minima renum vascula, sive siphunculos, exulcerationem efficiant. Quæ facta, pus cum sanguine per uretheres in vesicam instillat, & sic miętum valde dolorificum exeunte puris & sanguinis corrupti cum urina portione, producit. Id quod tamen etiam quandoque fieri potest, quanquam rarius, ab uretheris per calculum exulceratione.

#### §. XIV.

Mictionis quoque cruentæ, copiose & valde an-  
cipitis species est, quando ex vesica, ab acriori præ-  
sertim ibi stagnante copioso sanguine, exulcerata, mu-  
cosa valde, ex parte purulenta & cruenta materia in  
ejusdem cavitatem descendit. Tum enim cum inten-  
so ardore, intolerando dolore & difficultate urina  
redditur, simulque tremores & convulsivæ artuum,  
cum frigore & tremore stipatae, motiones, fese jun-  
gunt. Vedit id aliquoties in gonorrhœa desperata &  
inveterata laborantibus D. PRÆSES acri simul  
& corrosiva materia e genitalibus profluente ac par-  
tes vicinas arrodente. Quæ labes interna ubi adeat,  
ac renum, vel etiam vesica substantia simul corrupta  
est, & purulenta ac putrida materia copiose secedit,  
urinæ exeunt furfuraceæ, & parvæ carunculæ, aut cor-  
pora, capillos, vel vermiculos æmulantia, in urina con-  
spiciuntur, quæ a vesica nequaquam possunt abscede-  
re, hæc enim resolvi nequit in ejusmodi filamenta,  
sed

sed a contenta mucosa, vel in renibus, vel in vesica, materia, concrescunt in ejusmodi figuram & confluentiam.

## §. XV.

Accedit aliud cruenta mictionis genus, a caussa videlicet externa, contusione lapsu in terram, elevatione onerum & percussione producta. Hæc quidem in vita civili & praxi sèpius occurrit, caussam tamen ipsius reddere non tam promptum ac obvium est. Quod si enim vasorum in renibus ruptio, vel contumeli solutio, caussa foret, non tam subito, ut tamen fit, per venæflectionem & sanguinem dissolventia possit sanari. Nos potius modum ita concipiendum esse censemus, quod a contusione & contorsione vasorum, in primis sanguineorum, & ibi stagnante sanguine, ejus circulatio per has partes lœfas impediatur; hinc crescere impetum & copiam sanguinis in vasis internis, atque hæc nimium inde, præsertim in plethoricis, distenta, ut sanguis locum mutet ac effluit facere. Tale quid enim commode maxime fit in renibus, si ibi facta fuit percussio. Vnde sunt inter exempla, ubi etiam a subluxatione vertebrarum cruenta inficuta fuit mictio. Quin sicuti ex tibia amputata dysenteriam *HILDANVS centur. II. Obs. 10.* sic etiam & nos observavimus, ex osse tibiali fracto, urinam cruentam redditam fuisse. Ut adeofacile concipiendum sit, a contusione venarum & sanguine sic stagnante fieri posse ejusdem per urethram stolicidium.

## §. XVI.

A torminibus atrocibus ventris, item a sumptis acrio-

acrioribus purgantibus, nec non a diureticis acrioribus, ut cantharidibus, urinam reddi posse cruentam, experientia est confirmatum. Debetur autem hoc symptoma spaticis venarum stricturis, quibus liber sanguinis circulus intercipitur. Vnde ex facili jamjam ratio reddenda, quare morbillis, & variolis in primis malignis, funestus ejusmodi affectus interdum associerur. Prostant quidem observationes apud autores, quod a vesicatoriis que habent canthrides, externe applicatis, cruenta fuerit mictio exorta; interim nos fatemur candide, nobis nunquam tale quid visum vel observatum esse, ut haud injuria hanc operationem in dubium vocare liceat, ac forsitan longe ab alia causa in morbo sub applicatione vesicatoriorum haec cruenta urina excreta fuisse possit.

### §. XVII.

Omnis vero cruentus mictus est periculi non expers. Etenim licet etiam in principio salutaris, & critica, a palindrome facta ob mensum vel hemorrhoidum suppressionem, visa fuerit; tamen quia non modo facile revertitur & vires exhaustit, sed & si error accidit, vel in diaeta, aut si imprudenter sypticis tractata fuit, inflammatio ac corruptio facile ipsis renibus vel vesicæ induci potest, utique periculum alit. Incidit præterea & hoc frequentissime, quod grumus quidam

C

dam

dam sanguinis ex renibus descendantis in ea parte, ubi urether ductu obliquo inseritur vesicæ, impatus, valde infestam & difficulter sanabilem inducat ischuriām. Quandoque etiam congrumatur in vesicæ cavo sanguis, & sphincteri firmiter inhærens, implacabilem cum urinæ suppressione præbet dolorem, id quod etiam accidit, quando vasa sphincteris sanguinea, non fecus, ac hæmorrhoides cœca, sanguine crasto admodum turgent.

### §. XIIIX.

Perspectis sic paulo penitus variis excretiōnis per urinam cruentæ cauiss & sedibus, prudentis nunc est Medici, tum ad avertendas præservative, tum ad tollendas in cura differentes has causas judicium in propinandis convenientibus remediis paulo exaglius adhibere. Igitur, quando ex nimia sanguinis redundantia oritur, vel metuendus est affectus, sanguinis missione nihil tutius & præstabilius est, hac tamen observata cautela, ut ipso in paroxysmo in partibus superioribus, brachio videlicet, sanguis detrahatur & ejus mittendi copia ex virium & habitus corporis ratione æstimetur. Quodsi vero a consueto hæmorrhoidum fluxu suppresso insolita hæc evacuatio ortum traxerit, ad præservationem tutius est venam pedis aperire. Idem tenendum est, quando in colica spasmatica & vehementibus ventris tormentibus, ut interdum fit,

fit, urina cruenta mingitur, ob sanguinem stagnan-  
tem & congestum circa intestinalium tunicas, exi-  
tumq; per venas hæmorrhoidales non invenientem.  
Quin potius, quia hic affectus per certas etiam  
periodos reverti solet, tempestiva venæsectione  
ut ipsi occurramus, eo magis est necessarium.

## §. XIX.

Si a vehementi, cum, vel etiam sine pletho-  
ra, orgastica sanguinis ebullitione & expansione,  
qualis subinde a fortiori corporis, vel etiam animi  
commotione, vini & calidorum sanguinem nimis  
moventium remediorum abusu accedere solet, ma-  
lum hoc ortum suum habet, præter sanguinis per  
venam sectam subtractionem, nitrosis & intesti-  
num elasticum motum sanguinis refrenantibus, si-  
ve refrigerantibus, nihil certius & præstabilius.  
Hoc nomine depuratum nitrum, vel artificiale,  
ex sp̄itu nitri & sale tartari confectum, cum ter-  
reis & absorbentibus mixtum, vel in forma pul-  
veris, vel etiam potui inditum, plurimum com-  
mendamus. Cui pro vehiculo in hisce casib⁹  
serum lactis dulce, & acidulum, aqua decocta  
hordeacea, & sola aqua pura fontana, vel ad di-  
midiam partem cum Selterana, aut Tönnstei-  
nensi mixta, decoctum cornu cervi & scorzone-  
ræ, optime inserviunt, vel etiam cerevisiæ, tenuio-  
res, quibus tinturæ rosarum, florum bellidis

C 2

cum

cum spiritu vitrioli , minime vero salis' , cuius a-  
etimonia volatilis pulmonibus & renibus infesta  
est , paratæ , sunt instillandæ .

## §. XX.

Quum alvi adstrictio , seu tardior fæcum  
secessio , plurimum ad ingenerandum , imo  
ad fovendum & sustentandum hoc malum habeat  
momenti , partim quod oriundis inde flatibus &  
spasmis intestinorum æqualis sanguinis circulus &  
distributio impediatur , & ad unam , præsertim  
debiliorem partem , solito plus sanguis feratur ,  
partim etiam , quod multæ impuræ , acres , bi-  
liosæ ex prima regione particulæ ad sanguinis &  
humorum massam adducanrur ; hinc , si quid  
aliud , ad illud avertendum ejusque recidivam  
præscindendam , certe alvi laxitas & subdu-  
ctio admodum proficua est ac necessaria . Id ve-  
ro minime purgantibus , seu acrioribus stimulan-  
tibus , vel salibus copiose assuntis , multo minus  
aloeticis , & pilulis quas etiam refracta dosi aloë  
ingreditur , præstandum . His enim exacerbatur  
malum certissime . Lenientibus potius laxantibus  
& quæ simul robore gaudent virtute , id exsequen-  
dum , inter quæ , ut in omni immodica & præ-  
ternaturali sanguinis excretione , rhabarbarina ,  
imprimis cum passulis mixta , uti sunt passulae Co-  
rinthiacæ , solutione rhabarbari per blandam in-  
spissa-

spissationem laxativæ redditæ, vel pulvis rhabarbari cum cremore tartari remixtus, nec non clysteres emollientes, ita etiam heic primas te-

nent:

## §. XXI.

Ad vasa vero nimium in renibus diducta & aperta roboranda & leniter adstringenda, vel etiam si eorum substantia lœsa fuerit, consolidanda, decocta, vel infusa, ex lenioribus vulnerariis & leniter constringentibus, ut sunt agrimonie, hædera terrestris, equisetum, herba millefolii cum summiratibus; virga aurea, radix consolida majoris, cum melle Prussico, renibus mirum amico, quodammodo dulcificata, opem ferunt laudatissimam.

## §. XXII.

Si renum, uretherum, vel vesicæ, arrosio & exulceratio præsens est, ut sèpius fit in continuo & diutius cum doloribus vexante malo, ad humorum acrimoniam contemperandam, præcipua medentis debet esse directa intentio, eaque neglecta, nullum doloris levamen, nulla etiam partis sauciata & lœsa consolidatio & restitutio speranda, aut obtainenda. Hunc autem in finem nobilis est virtus siripi dialtheæ Fernelii, item decocti Foresti, nec non ejus, quod MYNSICHTVS contra miectum cruentum laudat. Facit huc quo-

quoque infusum, quod præter jam dictas herbas vulnerarias, corticem radicis acaciæ, gummi cerasorum, habet; nec non, pulvis ex radice altheæ, glycirrhizæ, spermate ceti, feminibus quatuor frigidis, papaveris albi, lycopodii & croco cum f. q. facchari canti conditus.

### §. XXIII.

Præter hæc autem omnia ad renum & vesicæ vicia detergenda, inveterata etiam sananda, nihil unquam aquis medicatis temperatioribus, ut sunt Selteranæ, Antonianæ, Wildungenes, efficacius, tanto certius si cum lacte, imprimis asinino, fuerint remixtæ. Id enim docent non modo saluberrima ipsarum elementa, sed potissimum multiplex de hoc effectu experientia, de quo omnes qui de viribus medicatarum aquarum experti scripserunt testimonium ferunt consensu unani.

### §. XXIV.

Neque minus egregia virtus & adversus hunc morbum præsidium est in lacte, nec non latris sero. Hæc enim jam olim suo tempore in urinæ mictione cruentæ magni fecit HIPPOCRATES lib. de internis affectionibus §. 17. Si inquiens, urina prodit veluti a bubulis carnibus assatis succus, ægrotus pro temporis opportunitate serum & lac bibat; serum quidem ad purgationem, lactis autem potum faciat

faciat in tempore, per quinquaginta aut quadraginta dies; haec si feceris morbum in melius vertes. Lac quoque ovillum vel caprillum laudat RIVERIVS  
*Obs. XIII. Centur. 17.* nec non GATINARIAS atque FORESTVS, qui hoc solo remedio sanguinis mihi etum saepe se curasse gloriatur, ita tamen, ut unicuique dosi boli armenae drachmam unam permisuerit. Id quod etiam in graviori sanguinis mihi utique convenit, in leviori autem minus faciendum censet idem RIVERIVS.

### §. XXV.

Accedit aliud HIPPOCRATI laudatum remedium, quippe *t.c.* qui in miscione sanguinea ab ulcerato rene, vel vesica, vinum album, mellei coloris jucundissimum, probe temperatum, bibendum peritissime suadet. Nam vina nimium spirituosa, aut acido abundantia, ut Rhenanum, minimi ubi nimia & dolorifica adest sanguinis miscio, conferunt, sed potius vina dulcia, ut Hispanicum, Canariense, Hungaricum praestant, dum ventriculi digestioni & simul vesicæ afflictæ favent.

### §. XXVI.

Quum porro multum interfit, quale potus genus in usum ducat renum & vesicæ vitio laborans; tenendum omnino: ab omnibus cerevisis crassioribus & acidis, abstinentum esse, potum eligen-

eligidum copiosum, ex cerevisia tenui, quippe  
quæ medicamenti aquosi instar acre & arenosum  
eluit ac diluit. Tertius hanc in rem gravis est  
SYDENHAM, qui eandem ceu saluberrimam com-  
mendat *Libr. de midu* cruento a calculo renibus im-  
pacto pag. 705. adeo, ut ipse, quoties curru vahi  
debuerit, non prius rhedam ingressus sit, quam  
haustum cerevisiae tenuis paulo liberaliorem inge-  
serit, eundemque pariter iterare ante regresum  
domum versus, si forte alicubi diutius fuerit  
commoratus. Et hoc pacto semper sibi a miētu  
cruento satis præcautum esse, afferit. Observan-  
dum tamen; cerevisiam bene coctam esse debere  
& fermentatam.

## §. XXVII.

Vtut motus & exercitatio corporis conveni-  
ens magnum sit, tam ad præcavendas, quam per-  
fanandas chronicas passiones præsidium, attamen  
in excretionibus sanguinis, & præfertim quæ fi-  
unt urinarias pervias, res longe aliter, est compa-  
rata. Etenim vix aliud, motu corporis citatori,  
præsertim equitatione, ad propagandum hoc  
malum magis valet, quin solam loqueland paulo  
elatiorem & longius continuatam, in mictione  
dolorifica & cruenta, quæ per vesicam læsam fit,  
vidimus damnosam. Jam dudum etiam id nota-  
tum fuit ab antiquissimo Medicinæ nostræ parente  
*l.c. p. 16.* perhibente: *si quis sanguinem cum urina  
mittit,*

mittit, & corpus quietum habet, citius sanabitur, si vero laboraverit, dolores multo graviores obtinebit. Neque minus SYDENHAM in opp. p. 780. suo exemplo rem optime decidit. Nam quoties permulum itineris pedibus confecit, vel in curru per platerum pavimenta vescus est, quantumlibet tar do equorum gressu, toties mictum reddidit cum sanguine permistum, quoties vero per viam regiam lapidibus non stramat, licet perquam longissime, curru vescus est, tale quid ipsi accidit nunquam. De somno etiam peritissime refert, quod ipsi cura fuerit, ut lectum cito peteret, quo eo magis concoctio recte perficeretur, sicut ex adverso nocturnae lucubrations eam imminuant.

## §. XXIX.

Ad dysuriam, immo ischuriām, quae frequens & periculōsum, renalis vel etiam vesicalis hæmorrhagiæ symptoma esse solet, dum sanguinei grumi uretheris principium, ubi infurit vesicæ, vel ipsum sphincterem vesicæ obstruunt, non certe efficacius & promptius auxilium, quam aqua pura calida, copiose hausta & exterius balneum applicatum, prostat. Tum quoque præstat & quam tepidam syringa in urethram & vesicam injicere, quo acris humor diluat & grumuli hi dissolvantur. Atque etiam ipse HIPPOCRATES l. c. eadem hæc remedia commendat, lavacrum

D

nem-


nempe aquæ calidæ & tepefactoria ad locum affectum apposita. Quod si vero ob grumos sanguineos in ipsa vesica, seu sphinctere ejus obvios, spasmodus oriatur, ut inde totalis & pernicialis ischuria inducatur, interne emulsionem ex semenibus quatuor frigidis, cum lapidibus cancriorum & antimonio diaphoretico, item pulverem ex spermate ceti, lapidibus cancriorum & nitro; externe vero vesicam repletam decocto florum emollientium ex lacte abdomini applicatam, nec non alvi apertione, cum manna, vel clystere emolliente & oleoso, usus deprehendimus longe præstantissimi.

### §. XXX.

Inter ea vero demum, quæ in medicatione hujus mali vitanda, nihil certe esse potest infestius, quam si cruenta hæc mięcio, sive ex renibus, sive ex vesica fiat, sive critica, sive symptomatica sit, remediis adstringentibus, fluxum nimis impetuose sistentibus, ut communis fere & detestabilis medentium error est, excipiatur. Hoc enim facto, a grumis intra vasa retentis inflammationes fiunt, exulcerationes & putredines. Sicuti, quippe haemoptysis iisdem his remediis tractata quam facile in inflammationem & phthisin, vel pulmonum exulcerationem, ita etiam mięctus cruentus in inflammationem, exulcerationem & putredinemabit. Nihilominus tamen, si excretio sanguinea effusissi-

fusissima futerit, cum summa virium jaetura, mixtura, qua SYLVIVS feliciter in cruento mixtu usus est, ex aquæ plantaginis unciis duabus, portulaceæ, cinnamomi, aceti destillati ana uncia una semis, coralliorum rubrorum præparatorum, lapi-dum cancerorum, terræ sigillatae ana scrupulo uno, laudani liquidi granis tribus, siripi corallorum Quercetani, vel de symphito Fernelii, q. s. ad gratum saporem, experientia invenimus olim comprobatum.









Ul 923

ULB Halle  
004 179 358



TA → OL

nur 1 Stück und 10 verbrannte

Retro ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24





14

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**HÆMORRHAGIA**  
**VIARVM VRINARIARVM**  
*QVAM*  
DIVINIS AVSPICIIS  
PRÆSIDE  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
ORDINIS MEDICI SENIORE  
**PRO DOCTORIS GRADV**  
SVMMISQVE IN MEDICINA PRIVILEGIIS RITE  
OBTINENDIS  
*Ad d. Septembbris A. AE. C. MDCCXXX.*  
Publicæ eruditorum disquisitioni exhibebit  
**M. GODOFREDVS HEINSIVS**  
IÜTROBOCENSIS SAXO.

---

*HALAE MAGDEBURGICAE*  
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI. Acad. Typogr.